

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 53594/18 CG

N seu M.

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Novae causae propositionis

DECRETUM

Duplici prolata affirmativa decisione ob exclusionem indissolubilitatis ex parte viri actoris, nempe a Tribunali Ecclesiastico Regionali N die 25 novembris 2016 et a Tribunali Ecclesiastico Regionali Z die 25 maii 2017, per decretum Rotae Romanae Decani diei 21 novembris 2017, mulieris conventae instantia diei 18 iulii 2017 pro nova causae propositione penes Rotam Romanam in limine reiecta est.

Adversus denegatum novum causae examen Cl.mus mulieris conventae Patronus die 24 martii 2018 ad hoc Supremum Tribunal provocavit. Viro actore de recursu certiore facto, petitis et receptis actis primae et secundae instantiae, Cl.mi Patroni memoriali, Rev.mi Defensoris Vinculi animadversionibus ac Rev.mi Promotoris Iustitiae Substituti voto pro rei veritate exhibitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

- nova causae propositio post duplicem decisionem conformem in causa de statu personarum concedi potest novis iisque gravibus probationibus vel argumentis allatis (cf can. 1644, §1), quae probabilem reddant decisionis reformationem;

- recursus adversus denegatum a Rota Romana novum causae examen (cf. art. 122, n. 2 Const. Ap. *Pastor bonus* et art. 33, n. 3 una cum artt. 58-61 H.S.T. *Legis propriae*) haudquaquam appellatio est adversus duplicem decisionem conformem in casu latam;

- in casu H.S.T. videt utrum, necne, probationes et argumenta coram Rota Romana exhibita ad novum causae examen obtinendum reapse sint nova et gravia;

Considerato quod Rota Romana acta causae primae et secundae instantiae non petiit;

Pro comperto habito quod in casu non exhibentur novae et graves probationes; quamobrem videndum est tantummodo de assertis novis et gravibus argumentis;

Quoad nova et gravia argumenta, attento quod perversio factorum et contradictio decisionum argumenta nova haberi nequeunt, nam a Tribunali secundi gradus pertractata iam sunt;

Insuper, relate ad argumentum iuxta quod contradictio haberetur, cum decisio alterius gradus ex una parte asserit appellationem in casu non mere dilatoriam fuisse, et ex altera parte decisionem prioris gradus per decretum confirmat, animadverso quod in casu agitur potius de ficta contradictione seu de quadam verborum tantum ambiguitate, siquidem, enimvero:

- praescripto can. 1680, §2 iter processuale in appellatione expendenda servandum statuitur, iuxta quod tribunal appellationis, actis iudicialibus prioris instantiae una cum appellationibus receptis, collegium constituere debet, defensorem vinculi designare, partes, eodem defensore vinculi haud excluso, monere ut animadversiones intra terminum praestitutum proponant;

- quo processuali itinere integre servato atque in actum reducto, «tribunal collegiale, suo decreto, sententiam prioris instantiae confirmet», «si appellatio mere dilatoria evidenter appareat» (can. 1680, §2);

- ex quo legis praescripto integre ac recte intellecto, satis ergo patet iusta clausulae significatio «si appellatio mere dilatoria evidenter appareat», quam Legislator apponere voluit, id est, iudices alterius instantiae moralem certitudinem de subiecta nullitate matrimonii ex actis et probatis adepti sunt (cf. can. 1608, §§1-2) ad sententiam affirmativam prioris gradus continenter confirmandam (cf. can. 1639, §1);

- quod ceterum revera iudices Z fecerunt, acta iudicialia prioris gradus una cum appellationibus atque animadversiones defensoris vinculi et partium examini subicientes, ac dein sententiam prioris gradus per decretum confirmandam esse censes, quae omnia ex legis praescripto significant appellationem mere dilatoriam evidenter iisdem iudicibus apparuisse;

Cum, omnibus sedulo perpensis, desit spes ut contraria decisio obtineri possit;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Visis praescriptis can. 1644, §1 atque art. 122, n. 2, Const. Apost. *Pastor bonus*;

Vi artt. 33, n. 3 et 58-61 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo perpensa, in Congressu coram infrascripto Em.mo Praefecto die 6 iunii 2019 habito,

decrevit:

**Novam causae propositionem in casu non esse concedendam
atque de facto non concedi.**

Pro expensis retinetur cautio in arca H.S.T. deposita. Pars recurrens suae Cl.mae Patronae congruum solvat honorarium.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 6 iunii 2019.

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

✠ Iosephus SCIACCA, *Secretarius*